



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 188. Cardinalis S. Angeli Legatus Constantinopolim profectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.  
A. C. 1420.

merabantur Ministri, nil dicam de Mare-  
scallis Franciæ. Itaque Henricus V., re  
prospere in Gallis gesta, cum novella sua  
Conjuge in Angliam rediit, ubi a subdi-  
tis suis ingenti gaudio exceptus est.

§. CLXXXVIII.

*Cardinalis S. Angeli Legatus Constan-  
tinopolim profectus.*

Hoc anno Cardinalis S. Angeli ad Im-  
peratorem Græcorum Legatus Con-  
stantinopolim abiit, duabus munitus Pa-  
pæ epistolis, una ad Joannem Palæolo-  
gum, altera ad Josephum Patriarcham  
Constantinopolitanum, quem summus  
Pontifex novæ Romæ Archiepiscopum,  
Fratremque suum appellabat. Has lite-  
ras Imperatori reddidit Eudemon Joan-  
nes, qui pluribus deprædicata sincera  
Pontificis voluntate, Imperatorem, & Pa-  
triarcham, ut ejus votis annuerent, per-  
movere conabatur. Jam trigesimus  
effluxerat annus, a quo nullus Papæ Le-  
gatus Constantinoli visebatur.

Ceterum Imperator & Patriarcha  
Martino V. in hanc sententiam rescripse-  
re: Unicum optatæ unionis medium es-  
se oecumenicum ac liberum Concilium  
Constantinoli, & non alibi celebrandum,  
atque ab ipsomet Imperatore jux-  
ta antiquam consuetudinem convocan-  
dum.

dum. Hæ literæ sequenti anno in Oc- Sæcul. XV.  
 cidentem perlatæ sunt. Papa hanc pro- A.C. 1420.  
 positionem, etsi minus arrideret, penitus  
 non rejicit, sed se consentire respondit,  
 dummodo Joannes Imperator itineris sum-  
 ptus, atque expensas Prælatis necessa-  
 rias suppeditaret; non enim Papam late-  
 bat, Joannis Palæologi vires adimplendæ  
 conditioni impares esse, cum illum Tur-  
 cæ bello premerent, ac suæ etiam Re-  
 giæ Metropolis expugnationem minita-  
 rentur, prout nonnullis post annis fa-  
 ctum perspiciemus.

### §. CLXXXIX.

#### *Braccii obitus.*

In hunc annum Spondanus refert, Brac- Spond. an.  
 cium vivis ereptum fuisse; cum enim 1420. n. 10.  
 in quadam pugna, etsi sub alieno habitu  
 dimicaret, a proscriptis tamen Perusiniis  
 in eum solum intentis agnosceretur, oc-  
 cisus occubuit, caruitque sepultura, ut  
 pote Ecclesiæ hostis, & excommunicat-  
 us. Non defunt tamen, qui mortem il-  
 lius quarto ex post anno sub Francisco  
 Sfortiæ Filio contigisse testentur. Hu-  
 jus Viri obitus Pontificem ab hoste ad-  
 modum terribili liberavit, qui jam eo in-  
 solentiaæ pervenit, ut non modo Ecclesiæ  
 statum se seversum, sed etiam Papam  
 ad tantas angustias redacturum jactita-  
 ret,